



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Originvm Monasticarvm Libri IV.**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1620**

Cap. VII. Ordo Cisterciensis, à S. Roberto Abbate Molismensi institutus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11249**

dinalis Romæ obiit) multa commemorat, quem remittimus Lectorem curiosum.

Prioratum Conuentualium, à Grandmontensi Abbatia dependentium, catalogus extat cap. 64. in Originibus meis Benedictinis, & apud Choppinum libro citato.

## CAPVT VII.

*Ordo Cisterciensis, à S. Roberto Abbate  
Molismensi institutus.*

Cisterciensis familia ex Benedicti ordine manauit ac fluxit. Anno millesimo nonagesimo octauo, *Robertus Molismensis* cœnobij Abbas, cum subditos suos prauitij & rerum copia à primo instituto degenerare cognosceret, consilio cum aliquot ex illis communicato, vno & viginti socij assumptis, *Cablonem* se contulit, præcipuum eo tempore Burgundiæ urbem, & in solitario quodam loco, cui *Cistercium* nomen erat, sedem ac domicilium collocauit: quod ideo est Cisterciense appellatum. Sed interea Molismenses monachi pœnitentia ducti Robertum multis precibus reuocarunt; & ad pristinam sedem & cœnobium mandante Summo Pontifice se retulit. In cuius locum Cistercij *Stephanus* successit, qui fuerat

illius secessionis auctor. Quindecim deinde annis exactis, *Bernardus* Dei nutu ad Stephanum venit, & in Cisterciensi cœnobio cum triginta socijs sese monasticæ vitæ addixit. Bernardi verò mira virtute & sanctitate ita est ordo Cisterciensis auctus, vt dimissis in totum terrarum orbem monachis & alumnis, centum sexaginta monasteria viuens ipse *Bernardus* exstruxerit. Ex hoc ordine duo Romani Pontifices prodierunt, *Eugenius III.* & *Benedictus XII.* Sicut ex ordine Cluniacensi quatuor Pontifices Romani existisse perhibentur, *Gregorius VII.* *Vrbanus II.* *Callistus II.* & *Clemens VI.* Et quia vterque ordo Cluniacensis, & Cisterciensis sancti *Benedicti* regulam seruat, ideo ij Romani Pontifices, qui ex vtroque ordine assumpti, & electi sunt, dicuntur etiam ex ordine S. *Benedicti* delecti: & hinc factum est, vt *Trithemius* solum numeret duodeuiginti Romanos Pontifices ex sancti *Benedicti* ordine creatos, cum tamen alij referant viginti quatuor, alij viginti octo, alij triginta. Nam præter eos, quos recenset *Trithemius*, alij numerant *Benedictum I.* *Pelagium II.* *Leonem II.* *Gregorium II.* *Gregorium III.* *Paschalem I.* *Gregorium IV.* *Sergium IV.* & *Ioánem XIX.* Vt mirum non sit, quod dicitur, Romanam Ecclesiã generatam fuisse per trecentos annos à Pontificibus ex Sancti *Benedicti* ordine assumptis;  
imò

imò quidam aiunt per quingentos annos id factum fuisse.

## CAPVT VIII.

*De Sanctis, ac Beatis ordinis Cisterciensis.*

**S**ANCTOS voco, de quibus Officium Ecclesiasticum recitatur, aut qui Rom. Martyrologij tabulis sunt adscripti: Beatos autem, qui in magna quidem sunt veneratione, officio tamen Ecclesiastico non coluntur.

Inter Sanctos huius ordinis primas merito tenet *S. Robertus* Abbas primus, & institutor cum monasterij tum ordinis Cisterciensis.

Secundas tenet *S. Bernardus* Abbas Clara Vallis.

Sequuntur deinde *S. Malachius* Episcopus Hibernus, *S. Guilielmus* Archiepiscopus Bituricensis, & *S. Petrus* Archiepiscopus Tarentasiensis: de quibus in Chronico Cisterciensi, Coloniae anno 1614. edito disseruimus.

His addantur, *S. Robertus* Abbas Cisterciensis in Anglia, Rom. Martyrologij tabulis 7. Junij adscriptus, qui anno 1139. obiit. Exstat vita apud Suritum tomo 3.

*S. Favianus* Confessor, & *S. Franca* Abbatissa: de quibus dicam sequentibus capitulis.

*S. Hed-*